

siasticis, atque rebus, quin potius dictum Episcopum recipientes hylariter et honeste tractantes, ac de premissis vos non intromittentes de cetero eidem tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis, et exhibeat is ei honorificentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote, ac inviolabiliter observando. Datum ut supra.

407.

1253 d. 17 Aug.

Assisi.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Bref till Konungen i Danmark i samma ämne.

F. 1: 220.

*Innocentius &c. Carissimo in Christo filio Illustri Regi Dacie.*

Lundensis Ecclesia &c. usque incrementa. Quocirca Serenitatem tuam rogamus, et monemus attente, quatenus ipsum sereno vultu respiciens et benigne pertractans eumdem, et commissam sibi Lundensem Ecclesiam habeas pro divina et apostolice Sedis ac nostra reverentia propensius commendatos eos favore Regio prosequendo, ita quod idem, quem tibi desideramus acceptum, et te illi potissime gratiosum tuam sibi et eidem Ecclesie affuisse benivolentiam recognoscens ad dilectionem et caritatem tuam fortius obligetur, nosque devotionis tue zelum cum gratiarum actionibus commendemus. Datum Asisii XVI Kalen. Septembris, Pontificatus nostri Anno XI.

408.

1253 d. 17 Aug.

Assisi.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Tillstånd för Decanus och 2 Kaniker i Lund att, då de för den nyvalde Ärke-Biskopen nödgats sätta sig i skuld, få låna 236 lödiga mark silfver, dem den nyvalde Ärke-Biskopen och kyrkan skulle betala.

F. 1: 222. An. 11. Ep. 109.

*Innocentius &c. Dilectis Filiis, Sacro Decano Suenoni et Aquino Canonicis et Procuratoribus Ecclesie Lundensis Salutem &c.*

In nostra presentia constituti nobis humiliter supplicastis, ut cum pro expediendis negociis Venerabilis Fratris nostri Jacobi quondam Episcopi Roskildensis in Archiepiscopum Lundensem Electi et dilecti filii Capituli Ecclesie Lundensis apud Sedem apostolicam oportuerit vos subire onera debitorum, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, discretioni vestre propter hoc predictorum et Capituli nomine usque ad summam ducentarum triginta sex marcarum argenti in pondere Trecensi in mutuum contrahendi, et bona eorum etiam obligandi, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Ita quod Electus et Ecclesia memorati hujusmodi pecuniam restituere teneantur, et illi, qui eam vobis mutuaverint, quod in utilitatem Electi, et Ecclesie predictorum sit ipsa conversa pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis et cuiuscumque alterius per quos predicti electus et Ecclesia tueri se possent ulla probandi necessitas non incumbat. Datum Asisii XVI. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Vndecimo.